# …mnasium zu…

Zu der

## öffentlichen Prüfung

**sämmtlicher Klassen des Gymnasiums,**

welche

**am 23. und 24. März gehalten werden soll,**

ladet ergebenst ein

**der Director**

## Dr. Gustav Grosch.

**Inhalt:**

1. Quaestiones criticae in Timaeum Ciceronis e Platone transcriptum. Vom ordentlichen Gymnasiallehrer Dr. Hochdanz.
2. Rede [redacted] März 1879, } vom Director.
3. Schulnachrichten von Ostern 1879 bis Ostern 1880 } vom Director.

**NORDHAUSEN,**

Druck von C. Kirchner.

1880. Progr. № 205.

# Quaestiones criticae in Timaeum Ciceronis e Platone transcriptum.

Opusculum illud, in quo pars Platonis dialogi Timaei in Latinum sermonem translata inter Ciceronis opera exstat, eam ipsam ab causam suspicionem adfert, quod, cum nullis nisi extremis Ciceronis temporibus ortum sit, translationem verbum a verbo reddentem seni inter intima studia atque gravissimas curas versanti non facile concedimus. Sed de hac re infra dicendum nobis est fusius. Si vero, id quod primo adspectu conspicias, non pauca insunt, quae ab Ciceronis dicendi consuetudine discedant, est sane, cur totum opusculum accuratius investigemus. Neque tamen praeter C. Fr. Hermannum a quoquam separata disputatione dignum habitum est. Exiguitas credo et obscuritas opusculi obstitit, ne homines docti eos, qui ad hanc quaestionem pertinerent, locos singulatim investigarent atque colligerent. Quare etiam factum videtur, ut opusculum id, quod jam pridem offensionem creavisset, nemo adhuc sine ulla dubitatione Ciceroni abnegare sit ausus. Ac si nulla esset causa, quae auctoritatem Ciceronis in dubitationem vocaret, praeter illam, quae allata est a C. Fr. Hermanno in dissertatione „de interpretatione Timaei“ inscripta, in qua pag. sexta de quibusdam in fragmento novatis terminis technicis (si fas est hac voce uti) verba fecit nonnullosque in adnotatione collegit, si nulla esset causa praeter illam, quae ut ipse quoque Hermannus adjecit, nihil ostendit, nisi accurate se illum qui transvertebat exemplo suo addixisse, profecto ne priorum quidem quisquam, quin libellus a Cicerone ipso esset ortus dubitavisset, nedum nostra aetas, quae res criticas a principibus philologiae caute non solum sed ratione et via tractare didicit. Quis enim tam demens est, ut jus Ciceroni deneget, quod ipse usurpavit cum dixit de nat. deor. I; 4, 8 „tantum profecisse videmur, ut a Graecis ne verborum quidem copia vinceremur;“ idem „quod si in ea lingua, quam plerique uberiorem putant, concessum est, ut doctissimi homines de rebus non pervulgatis inusitatis verbis uterentur, quanto id nobis magis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere.“ Atque in omni arte, cujus usus communis vulgarisque non sit, multa novitas est nominum; quis igitur non concesserit Ciceroni, ut in iis quae non nisi circuitu verborum possent exprimi rebus, quo simplicius atque concinnius flueret oratio terminis qui dicuntur technicis iisque novatis uteretur? Augebat etiam difficultatem obscuritas dialogi Platonis ad verbum in latinum sermonem transferendi.

Quodsi his ejusque modi rebus auctoritas Ciceronis non labefactatur, jam ea, quibus id possit fieri melius, in medium sunt proferenda, ita, ut et iis, quae a scribendi more modoque illius copia litterarum atque scriptorum florentis Romani in universum et iis quae a flexione vel significatione verborum singulorum discrepent, collectis et ita prima quaestione, utrum Ciceronis sit opusculum an non, dijudicata jam ad alteram, a quo et quo consilio sit compositum, transeamus.

Atque in universum spectantibus, quid nobis in his nostris laboribus usui esse possit, duo erunt, quae nobis in Cicerone tractando magis quam in aliis suppeditabunt. Si enim argumentatio necessario plerumque ad dicendi rationem spectat, adjuvamur non minus per clarissimam illam, quam semper servat elegantiam atque constantiam, quam per magnam operum quae exstant copiam, ut vix in quoquam firmius de scribendi ratione judicium comparare nobis possimus. Jam vero gravior est causa altera: quodsi imprimis in philosophicis magni Romani operibus opera ponenda est, quae illum spatio duorum annorum composuisse constat, non est verisimile virum illustrem paene sexagenarium aut scribendi rationem aut suam de rebus philosophicis sententiam tam brevi spatio fuisse mutaturum.

**(Numeris paginae et versus Orellianae editionis indicantur, ed. II. cur. Baiter et Halm.)**

996, 8—10. De hujus loci, quo Platonis ideae tractantur, difficultate ex codicum discrepantia orta disputare, hic nostrum non est; quamcunque autem lectionem acceperis, mirabere, si ipse Cicero transtulit, infirmam interpretis memoriam. Exstant enim similes loci Tusc. I, 24, 58 „nihil enim (Plato) putat esse, quod oriatur et intereat, idque solum esse, quod semper tale sit“, Acad. I, 8, 30. Mentem volebant rerum esse judicem: „solam censebant idoneam, cui crederetur, quia sola cerneret id, quod semper esset simplex et ejusmodi et tale, quale esset.“ Quaeras in iisdem rebus eandem versionem. Neque tamen cum vestigia nostro loco non presse Platonis sequatur, ullam vocem illis locis congruentem invenias.

996, 13. Differentia patebit inter Ciceronem et interpretem fragmenti, quomodo vocabulum speciei Graece *ἰδέα* adhibitum sit comparanti. Atque illius consuetudinem ex verbis ipsius modo allatis similibusque cognoscas; hic quam maxima potest confusione p. 996, 13 voce speciei utitur in ea enunciatione, qua Plato, quamquam non eodem loco sed paullo post significationem ejus vocis adhibet propriam: Quocirca si is, qui aliquod munus efficere molitur, eam speciem, quae semper est, intuebitur atque id sibi proponet exemplar“, quibus respondent Platonis Tim. 28, A *ὅτου μὲν οὖν ἂν ὁ δημιουργὸς πρὸς τὸ κατὰ ταὐτὰ ἔχον βλέπων ἀεὶ, τοιούτῳ τινὶ προσχρώμενος παραδείγματι, τὴν ἰδέαν* (id est figuram) *καὶ δύναμιν αὐτοῦ ἀπεργάζηται* —; perinde ac si genera illa rerum duo, et id quod semper est, et id quod secundum exemplar illius factum est, a Platone *ἰδέαι* essent appellatae.

996, 13. Conjectura Henrici Stephani (castig. Cic. p. 2) rejicienda videbatur. Hic pro „munus“ existimat legendum esse „opus“. Sed Ciceronem et „opus“ et „munus“ promiscue uti apparet ex Tusc. disp. I; 29, 70 „moderator tanti operis et muneris“. De nat. deorum I; 8, 19 „fabricam illam tanti operis qui ministri tanti muneris fuerunt.“ Ex hoc igitur nihil contra Ciceronis auctoritatem sequitur, neque vero pro auctoritate, quippe cum fuerit omnium consuetudo his vocibus promiscue uti.

996, 20. Vox „principatus“ ne ab alio quidem pro principio adhibetur, nedum a Cicerone, qui certam vim huic voci constituerit, cum dixit de nat. deor. II; 11, 29 „principatum autem id dico, quod Graeci *ἡγεμονικὸν* vocant“: id quod nostro loco prorsus alienum.

996, 21 „corporatus“ non minus quam „corporeus“ graeco vocabulo *σῶμα ἔχων* (Plat. Tim. p. 28, B) apud Ciceronem non nisi in Timaeo respondet. Aliter adhibuit de nat, deor. II; 15, 41, ut esset ignis corporeus is, qualis in corporibus inveniretur; cui loco similis est, si modo recte conjecit Madvigius, de fin. p. 419 ed. III. „omnis ista rerum corporearum aestimatio splendore virtutis obscuretur necesse est“. Quid vero voci „undique“ faciamus, non video. Noto praeterea sen-

sum movere, in opinatione considere, pro consistere; sensus moventia, ubi „sensus“ propter antecedentem singularem „sensum“ sine dubio genetivus est, aeque ferendum est ac de fin. III; 5, 16 „conservantia hujus status“.

Jam vero „opinatio“ physice a Cicerone non dicitur, ut sit pro perceptione earum quae ideis oppositae sunt rerum; aliis locis, ut Acad. II; 25, 79 opinatio Ciceroni est perceptio Stoicorum utpote sensibus non confidentium; alio loco, cum de moribus agitur (Tusc. IV; 7, 15 f.) est opinatio status animi perturbationibus excitati.

996, 24 „parentem hujus universitatis difficile est — indicare in vulgus nefas“. (Plat, Tim. p. 28, C.) De hoc a posterioris aetatis scriptoribus mirum in modum celebrato loco ne Cicero quidem, cum de nat. deor. I; 12, 30 dicit, „de Platonis inconstantia longum esse dicere, qui in Timaeo patrem hujus mundi nominari neget posse“ et interpres opusculi prorsus consentiunt. Neque enim quemquam fugiet inter „patrem“ et „parentem“ atque inter „non posse“ et „nefas est“ non solum verborum sed etiam sensus aliquam esse discrepantiam.

996, 24 (Plato p. 28, C.). Universitatis vocem Cicero, ut idem significet quod mundus non solet adhibere, quin rerum adjiciat; idem 1005, 24.

Jam pro „invenire“ Cicero nescio an posuerit „reperire“.

997, 2. Fabricator (Platonis *τεκταινόμενος*) unice dictum.

997, 4. Probus artifex (Platonis *δημιουργὸς ἀγαθός*). Quod vocabulum a Terentio quoque adhibitum ironice (Phorm. II; 1, 29 o artificem probum) ex vulgari hominum sermone sumptum videtur et loco ineptissimum nostro. Suspicionem auget, quod Cicero in primo de nat. deor. libro, cum eundem Timaei locum spectat, centies de aedificatore non de fabricatore mundi disserit, ut de nat. deor. 1; 8, 18 „Audite, inquit, non futiles commenticiasque sententias, non opificem aedificatoremque Platonis de Timaeo deum“. Item l. c. I; 9, 21.

997, 12 conquisitio sine ulla causa positum pro „quaestio“, quod videas Tusc. III; 20, 66. Codicum vero lectio confirmatur per Nonium Marcellum p. 30, s. v. exordium. Locus paginae 997 a versu 10—13 universus ne apud Platonem quidem (Tim. p. 29, B) extra dubium est; dico fiduciae Stallbaumii notandae causa dicentis in editione Timaei p. 116: „Ita si haec acceperimus, vix quidquam valebunt dubitationes ab interpretibus miro studio excitatae“. Si interpretum fragmenti nostri, doctum et intelligentem nimirum Graeci sermonis existimatorem, audiverimus, Plato *μέγιστον δὴ παντὸς ἄρξασθαι κατὰ φύσιν* scripsisse existimandus erit, ut ad *ἄρξασθαι* supplendum sit *λόγῳ*, *ἀρχὴν* vero pro adverbio positum ad sequentem enunciationem pertineat, latine redditum per „prima distinctio“.

997, 16 (Tim. 29, B) „imitatus“ usitatum est nunquam nec a Cicerone nec a bonae aetatis scriptore quoquam passive. De activa hujus verbi declinatione confer Nonium p. 473, 20 s. v. imitat: „Varro Epist. lat., lib. II. „tuum opus nemo imitare potest“. Livius Achille: „si malos imitabo, tum tu pretium pro noxa dabis“. Qui ex his concludere velit, idem quod illis Ciceroni quoque licuisse, consideret hunc duobus saeculis ante Ciceronem vixisse, illum simul cum Cicerone florentem in antiquitatis rebus occupatum nimis antiquioris scribendi rationis studiosum fuisse.

In hoc loco occupato conjectura obtingit illius difficultatis evitandae causa facta. Ac scripsit aliquis „cum autem ingressa et imitata est efficta simulacra“. Quod ferri nullo modo potest. Neque enim ponendum erat imitata est sed imitetur, quod sequitur „bene agi putat, si veri similitudinem consequatur“. Sed etiamsi per grammaticam ferri posset, tamen a sententia respueretur. Orationem enim res ipsas imitari posse in universum non nego; neque tamen video, quo modo nostro loco possit. Jam vero si contextum Platonis in medium vocamus: p. 29, B *τοὺς δὲ τοῦ*

*πρὸς μὲν ἐκεῖνο ἀπεικασθέντος, ὄντος δὲ εἰκόνος, εἰκότας ἀνὰ λόγον τε ἐκείνων ὄντας*, facile elucet interpretem *τοῦ πρὸς ἐκεῖνο ἀπεικασθέντος* per duo verba reddidisse, de quibus non tam imitata, quam efficta superfluum esset.

997, 18. Quantum enim ad id quod ortum est, aeternitas volet, tantum ad fidem veritas (Plat. p. 29 C). *Πίστις* per fides redditum est, nec dubium est, quin saepius haec vocabula sibi respondeant. Nostro loco significatio verbi fidei adeo abhorret a vi, quam postulat cum usus sermonis tum ratio philosophorum in certis rebus certis vocibus utentium, ut interpretem fragmenti, in quo supra recte (996, 20) opinio et opinabile ad hanc significationem exprimendam posita sunt, Ciceronem fuisse arbitrari non possimus, etiamsi a philosopho ipso certum alius libelli testimonium non teneremus. At exstat in libro de offic. I; 7, 23 etymologia quaedam viri docti, quae opinionem auctoris de hoc vocabulo certe significat: „fundamentum justitiae est fides, id est dictorum conventorumque constantia et veritas, credamusque quia fit, quod dictum est, appellatam fidem“. Atque Timaei interpretationem, sive Ciceronis est, sive non est, nullum nisi extremum locum omnium philosophicorum sub nomine illius exstantium operum tenere posse, nemo negabit, qui aliquantum operae in studiis philosophi Romani consumpserit; librorum de officiis pars prior initio ejusdem anni confecta est, septingentesimi decimi. Non ii sumus, qui Ciceronem ab omnibus levitatis et inconstantiae criminationibus defendere conemur; neque tamen credere fas est illum brevi paucorum mensium spatio interjecto etymologiae obliturum fuisse, quam quanti aestimaverit, ex eo concludas, quod eam in epistola ad Tironem commemorat atque ita commemorat, ut jam antea cognitam fuisse eam liberto evideamus; exstat enim l. c. 16, 10 „nostra ad diem dictum fient, docui enim te fides etymon quod haberet“. (Videtur autem, quoniam hanc epistolam attigimus, hoc loco comparato cum libri de offic. primi concludi posse de anno, quo conscripta sit epistola illa, quae in editione Orelliana sub incerto anno, in editione Nobbiana sub anno fere septingentesimo decimo notata est. „Fere,“ igitur in editione Nobbiana delendum.)

Ejusdem etymologiae Ciceronianae mentio fit apud Nonium p. 24 s. v. fides: „fidei proprietatem exemplo manifestavit M. Tullius de rep. III; fides enim nomen ipsum mihi videtur habere quod fit, quod dicitur“. Quodsi Ciceroni in illo de offic. loco fides dictorum conventorumque veritas est, quo jure opusculum ejusdem anni nomini illius addimus, in quo scriptum exstat inter fidem et veritatem tantum interesse, quantum inter Platonis *γένεσιν* et *οὐσίαν*, *πίστιν* et *ἀλήθειαν*?

997, 30. In sensum cadere (*ὁράτος*‘ Tim. p. 30 A) pro sub sensum cadere.

998, 4 noto „ex inordinato“ (*ἐκ τῆς ἀταξίας* Tim. p. 30 A).

998, 3. Quum rationem habuisset (Plat., p. 30 A *λογισάμενος οὖν*). De hoc loco Henricus Stephanus multus est in castigationibus Cic. p. 3. Hujus conjecturam: „Quum hanc igitur rationem habuisset“, facile est refutare. Platonis *λογισάμενος* reddendum erat per ratione inita. Paulo post (Plat. Tim. p. 33 A *διὰ δὴ τὴν αἰτίαν καὶ τὸν λογισμὸν τόνδε* recte conversum est per „hanc igitur habuit rationem“, id est causam. Rationem autem habere pro rationem inire a Ciceronis sermone abhorret.

Ad 998, 4 noto inintellegens (*ἀνόητον*, Tim. p. 30 B.) ad 998, 33 imperfectum (*ἀτελής*, Tim. p. 30 C.) ad 998, 21 adspectabile (*ὁρατός*, Tim. p. 30 D.)

998, 22 an fuit plures aut innumerabiles dictu melius et verius? (*ἢ πολλοὺς καὶ ἀπείρους λέγειν ἦν ’ορθότερον*, Tim. p. 31 A.) Num Latine omnino sic dici potuerit, in medio relinquo, Ciceronem simile quidquam reliquisse non memini.

998, 28 Animanti absoluto simillimus (Plat. Tim. p. 31 B.). De similitudine exprimenda confer Wesenbergium et Madvigium de fin. p. 622) „Cicero et fere antiquiores hac utuntur regula, ut in

animantium, hominum praesertim et deorum similitudine notanda longe saepius genetivum adiectivo adiungant."

998, 31 corporeum (σωματοειδὲς). De hoc vocabulo confer, quae ad p. 996, 21 adnotavimus. Tractabilis quoque (Platonis ἁπτόν) notandum est; aptius esset tactilis, quod praebet Lucretius V, 152.

999, 7 Id optime assequitur, quae Graece ἀναλογία, Latine — audendum est enim, quoniam haec primum a nobis novantur — comparatio proportiove dici potest. (Plat. Tim. p. 31 C.) Haec prima occasio interpreti visa est vocabuli Graeci inserendi. Quodsi excusationem huius „audaciae" afferendam sibi esse putavit, apparet non Ciceronem scripsisse, sed quendam tironem. Nihil enim mirabilius esset quam Cicero tot philosophicis operibus confectis dicens: „quoniam haec (id est talia atque eiusmodi placita philosophorum Graecorum) primum a nobis novantur." Iam vero analogiae vox iam ante a Cicerone usurpata est in ep. ad Att. VI; 2, 2 item ab aequali quodam Varrone in libro de l. l. VIII., quod opus Ciceroni ipsi dedicatum fugere illum non potuit. Eo mirabilius factum esset, ut ille horreret vocabulum iam saepius auditum. Excusationem enim p. 999, 7 esse non „analogiae" sed „proportionis et comparationis, ex eo concludas" quod in sequentibus non semel eadem qua istic vi iteratum est proportionis vox, analogiae contra prorsus negligatur.

Ad p. 999, 26 noto „nullo modo queat"; 999, 28 pro „huiusce generis" (Platonis μέρος οὐδὲν οὐδενός) cum Valla legendum puto „ullius generis"; ad p. 1000, 5 noto „senio" 1000, 8 et globosus est fabricatus (Plat. Tim. p. 33. B). Haec codicum lectio nostram de fragmento opinionem adiuvat. Nam Cicero verbo fabricandi, ut iam Nonius adiecit, non nisi pro deponenti usus est. (Qui usus Nonii aetate prorsus evanuisse videtur; neque enim fuisset, cur id, quod omnibus bonae aetatis scriptoribus erat commune usitatum, adnotaret). At nos, si contextum Graecum in comparationem vocamus, κυκλοτερὲς αὐτὸ ἐτορνεύσατο, iam ad Orellii opinionem adducimur, qui coniecit: et globosum est fabricatus.

1001, 15 Ex ea materia, quae — tertium materiae genus ex duobus in medium admiscuit (Plat. Tim. p. 35 A). In hoc loco quantum materia ab Graeco οὐσία abhorreat, nemo non videt. Sed de hac re viros doctissimos audias Boeckhium, Bonitzium, Stallbaumium, C. Fr. Hermannum. Ad nostram quaestionem satis effecisse nobis videmur, si Ciceronem altius Platonis placita intravisse concedas, quam ut tale quidquam admitteret.

Ad p. 1001, 21 noto „alienus" cum genetivo coniunctum.

1002, 12 Suspicionem movet vox coniunctionis sic posita, quippe quae apud meliores actionem coniungendi non ipsas res coniunctas significet. Quamquam me non fugit esse non pauca substantiva in io exeuntia, quae et pro actione et pro statu adhibeantur, ut cogitationes idem significent quod cogitata, cognitio idem quod cognitum, possessio idem quod res possessae.

1002, 16 (Plat. Tim. p. 36 C) circumplectendi verbum non est Ciceronis.

1003, 5 (Tim. p. 36 E) circumiiciendi verbo intransitive nemo bonae aetatis scriptor usus est.

Ad p. 1003, 6 noto „exordium inducere" (Tim. p. 36 E). 1003, 7 (Tim. p. 36 E) spectabilis non Ciceronis.

1003, 4. (Tim. p. 37 A) „Quippe qui" identidem a Sallustio, Livio, aliis cum indicativo coniunctum exstat; ex Ciceronis operibus hoc exemplum prorsus unicum.

1004, 3. (Tim. p. 38 E). Adipiscendi verbo Cicero de iis tantum rebus utitur, quas quis non sine studio sibi comparavit. Ne longi simus in adiectivo „decori," quod nusquam nisi spectet ad mores, idem quod aptus apud Ciceronem significat.

1005, 15 „ut hoc animal, quod videmus, esset illi animali quod sentimus — simillimum." (Plat. Tim. p. 39 E). Verbum videndi contrarie positum est verbo sentiendi; Ciceronem, dicendi

illum artificem perfectissimum vim, quae inest in verbo *νοεῖν* per sentire redditurum fuisse non credo; si enim sub sentiendi notionem etiam cadit videre, his verbis sensus contrarius effici non potest.

1005, 22 Quis divinae animationis (Tim. p. 40 A) Ciceronis esse affirmaverit? 1005, 29 (Tim. p. 40 B) contra illius consuetudinem verbum celerandi intransitive usitatum est.

1005, 31 (Tim. p. 40, A). Codices praebent, „quinque autem reliquis motibus orbem eum voluit esse et expertem immobilem et stantem". Expers autem cum ablativo non conjungitur a Cicerone. Hic Halmius haesisse videtur, qui pro orbem conjecit orbum, a quo adjectivo penderet ablativus „motibus". Haec conjectura adjuvatur per eos codices, in quibus „et" ante expertem injectum est. Non possumus autem perblandam viri docti conjecturam non rejicere. Quo enim referri possit accusativus masculini „eum", nisi ad pluralem divinis? Deinde cur haec mira adjectivorum abundantia in re simplicissima? Quare hunc locum et ipsum aptum esse puto, quo nostra de fragmento opinio corroboretur.

1006, 10 (Tim. p. 40 C). Pone particula apud scriptores aetatis ante Livium exstare non videtur nisi apud poetas.

1007, 4. Tum ad eos is deus, qui omnia genuit, fatur (Tim. p. 41 A); ad aliquem fari mihi quidem inauditum; non minus suspectum est p. 1007, 4 indissolutns, ubi Augustinus indissolubilis praebet: utrumque barbaricum. 1008, 18 „in suis moribus simillimas figuras" (Tim. p. 42 C), ubi noto miram verborum collocationem. 1009, 9 „parvitas" notandum (Tim. p. 43 A). 1009. In lacuna locum invenit „defenstrix" Prisciani, de XII. vers. Aen. c. 2. § 16 (Tim. p. 45 D) *σωτηρίαν*).

Praeterea locos eos exscribere liceat, in quibus interpres morem Ciceronis imitans Latino vocabulo, aut propter novitatem aut propter obscuritatem Graecum esse adponendum existimabat:

997, 7 (Tim. p. 31 C). Id optime assequitur, quae Graece *ἀναλογία*, Latine — audendum est enim, quoniam haec primum a nobis novantur — comparatio proportiove dici potest. 1000, 8 (Tim. p. 33 B). Et globosum est fabricatus; quod *σφαιροειδές* Graeci vocant. 1002, 1 (Tim. p. 36 A) quas in intervallis ita locabat, ut in singulis essent bina media: vix enim audeo dicere medietates, quas Graeci *μεσότητας* appellant, sed quasi ita dixerim intellegatur; erit enim planius. 1003, 8 (Tim. p. 36 E). Est autem (animus) unus ex omnibus rationis concentionisque, quae *ἁρμονία* Graece, sempiternarum rerum et sub intellegentiam cadentium compos et particeps. 1005, 26 (Tim. p. 40 B) ut hunc varietate distinctum bene Graeci *κόσμον*, nos lucentem mundum nominaremus. 1006, 16 (Tim. p. 40 D). Reliquorum autem, quos Graeci *δαίμονας* appellant, nostri, opinor, Lares, si modo hoc recte conversum videri potest, et nosse et enuntiare ortum eorum majus est, quam ut profiteri nos scribere audeamus.

Hos locos cum operum philosophicorum Ciceronis comparantibus nobis facile apparet ab interprete fragmenti magni illius Romanorum philosophi quodammodo esse rationem habitam ita, ut quae vocabula jam illo essent novata, in Timaeo non repeterentur, sed tamquam Latinae linguae propria adhiberentur (nisi quod in Tusc. disp. et in libris de nat. deor. proprie adhibita est jam vox *ἁρμονίας*). Quomodo hac ex re quo tempore ortus sit Timaeus possit concludi, infra ostendam exemplis confirmabo. Neque tamen deesse hic quoque discrimen inter Ciceronem et interpretem fragmenti, facile concedes, si consideres esse in his sex locis duos, quibus is qui novavit novationem excusandam sibi esse putaverit, id quod in Ciceronianis locis frustra quaeras.

Haec sunt fere, quae in perscrutandis his paucis paginis ab usu dicendi Ciceronis abhorrentia inciderint, multis tamen locis missis, qui leviores videbantur, quam ut compositionis illi abnegandae adferrent necessitatem. Neque enim sum ignarus aliud esse calamo libero suo ipsius ingenii cogitata litteris mandare, aliud res abstrusissimas et obscurissimas verbo tenus ex Graeco in Latinum

sermonem transferre. Quare eo cautius distinguendum esse mihi et dijudicandnm constitueram. Ad haec, quae ad grammaticam et significationem verborum pertinent, adjungi possunt ii loci, in quibus interpretem sententiam Platonis ultra quam Ciceroni concedemus non prorsus intellexisse apparet. De quibusdam hujus generis locis latius et cum exquisita doctrina C. Fr. Hermannus in sua de interpretatione dissertatione disputavit p. 16—28. Multos eosque leviores nos quidem possumus adjicere; sed neque rei multum nostrae prodessemus et habet aliquid firmamenti opinio eorum, qui identidem et majorem diligentiam et studium accuratius fontium suae philosophiae in illo desiderent. Quare jam singulos illos locos mittamus. At accedit huc, quod in universum dicendi consuetudinem magni illius Romanorum scriptoris in hoc fragmento desideramus. Atque difficultatis maximae esset investigare et adnotare ea, quae neque definiri possint certis regulis et si possint, in ceteris sub nomine Ciceronis exstantibus scriptis omnibus identidem inveniantur. Neque tamen per totum opus cumulata ferenda sunt. Atqui deest omnino elegantia, fluxus orationis, verborum ad numerum conclusio, ne longus sim, maxima illa admirabilisque exercitatio atque facilitas orationis, quam in nullo magni illius Romani opere desideramus, ne in iis quidem locis, quos verbo tenus ab eo ex Graecis translatos habemus. Conferas Platonis de Rep. IX. p. 571 E cum Cic. Divin. I; 29. Plat. de Rep. VIII, pag. 562 cum Cic. de rep. I; 43. Plat. Apolog. cum Tusc. I; 41, 97. Plat. de Rep. p. 318 fine cum Cat. maj. 3; 8 alia. Maximum inter hos locos atque fragmentum nostrum interesse neminem fugiet. Praeter illos quam plurimos Ciceronis locos e Graeco in ipsius sermonem translatos comparare operae pretium esse putavi et si concedo non omnes pari libertate translatos esse qua illos quos enumeravi locos, esse contra fragmento nostro sermone simillimos non paucos, tamen idem quod in his durioribus locis etiam in Timaei interpretatione Ciceroni licuisse putare vetamur, si consideremus primum utrosque locos, etiamsi non sunt unius scriptoris, necessario in dicendi modo discrepare non posse, quippe quod sint interpretationes ad verbum ab eodem Graeco philosopho derivatae. Deinde considerandum est, quamquam nondum de hac re disputamus, si nulla conditione hic Platonis dialogus Latinis litteris mandari potuit, nisi ut eo uteretur Cicero ad majus de physica opus componendum, identidem dissipatos locos minores, etsi minus elegantes sint, non tam odiosos esse, quam futurus fuerit totus dialogus Platonis ea quidem qua exstat inelegantia operi insertus. Ut igitur hanc de scribendi ratione quaestionem concludamus, apparet cum abesse ingenuum Ciceronis sermonem, tum immixta esse ex volgari sermone multa, quae aut a posteris in communem scriptorum sermonem transferebantur, aut jam ante ex eo erant ejecta.



Nunc quoniam id assecuti esse nobis videmur nullius minus quam Ciceronis calamo interpretationem ipsam esse tribuendam, quaestio fiat de praefatione necesse est. In ea nemo est, quin ingenium et calamum Romanorum elegantissimi scriptoris recognoscat, ut mira profecto esset imitatio ejus, qui elegantiam illius ita assecutus esset; huc accedit, quod talia de se ipso profert is qui loquitur, ut ex viris, quibus sit usus, ex oppidis, quae adierit, ex libris, quos conscripserit, facile de persona concludamus. Neque enim est, cur his fidem non habeamus. Nam ridiculum esset fidem interpretationis suspectam habere ita, ut opus alieno nomine per fraudem editum existimemus; nempe Cicero si non ipse transtulit Timaeum, tamen transferendum curavisse potest. Probabiliter jam esset opinio, praefationem alicujus philosophici operis postea componendi et interpretationem a Cicerone adolescente exercendi causa perfectam per se quamque exstitisse, philosopho mortuo casu aut propter rerum quas spectant affinitatem colligatas ad nostram aetatem pervenisse. Adolescenti

et eorum, quae contra sermonem in ceteris scriptis usitatum et eorum, quae in comprehendenda sententia Platonis erravit, facile veniam daremus. Hanc ad suspicionem augendam consideres praefationem in media enunciatione interrumpi, philosophicam expositionem contra ex ipsius Timaei expositione initium capere, id quod per lacunam librorum ita factum esse vix probabile est. Sed de hac re infra est nobis disputandum. Nuncquidem, si cui juvenilis labor hoc nostrum fragmentum videatur, hanc sententiam refutemus, quam C. Fr. Hermannus non refutavit, nec poterat, quippe qui omnino non dubitavisset, quin praefatio et interpretatio ejusdem essent auctoris. Praefatio igitur nulla nisi extrema Ciceronis aetate scripta esse potest ac tempus, in quo ab ipso auctore litteris mandata esse narratur, satis angusto reipublicae turbulentissimoque spatio definitur. Scriptae enim sunt Academicae quaestiones anno septingentesimo nono et Nigidius Figulus, quem „fuisse“ jam Cicero perhibet, cum hanc de qua agitur praefationem scribebat, in exilio mortuus est antequam Caesar occideretur. (Eusebius in chronico ad Ol. CLXXXIV.) Itaque suum jus obtinet Hermannus quum dicit p. 5: „quodsi omnino sic habendum est solius ostentationis experiendique ingenii causa nihil unquam a Cicerone conscriptum esse, nisi simul aliquam utilitatem civibus adferret —, de ipsius exercitatione in sexagenario vix amplius cogitari potest“. — Nunc autem, si praefatio casu quodam colligata est cum interpretatione, quid est, quaero, quod nos Ciceronem non sexagenarium sed adolescentem exercendi ingenii gratia Timaeum transtulisse credere vetet? Hoc quidem, quod Hermannus adfert, minime, cum dicit argumentum Timaei non ejusmodi esse, ut civibus suis ad imitandum proponeret, perinde ac si quis in exercitationibus ante omnia non suam sed aliorum utilitatem sectaretur; deinde „Ciceronem fidelius ad exemplar Platonis sese addixisse, ut a juvenilibus interpretationum conaminibus insigniter discedat“, quae causa mihi nihil omnino efficere videtur. Sed aliud est, quod etiamsi composuisse opus ipsum Ciceronem negemus, tamen nos dijudicare cogat, opusculum nullo nisi extremo illius vitae spatio in Latinum sermonem esse translatum. Accuratius enim fragmentum perscrutantem non effugiet terminologiam philosophicam ejus, si liceat hoc vocabulo uti, esse perfectam atque absolutam. Quodsi consideramus Ciceronis fere solius laboribus ultimorum annorum atque merito esse factum, ut Latini sermonis virtutes etiam hac in re cum Graeco possint comparari, necessario sequitur sive a Cicerone ipso sive ab aliquo multa lectione operum philosophicorum illius gnaro, non prius tamen, quam interiora philosophiae studia ille in lucem protulisset, non ante annum igitur septingentesimum nonum opusculum componi potuisse. Exempli gratia affero pag. 1013, 4 Ptatonis *ἀρίστου ἰδέα* per „optimi species“ reddi, nulla adnotatione adjecta primum hoc verbum Latine pro „*ἰδέα*“ adhiberi: testimonium jam Academicas et Tusculanas questiones editas fuisse, in quibus (Acad. I; 8, 30. Tusc. I; 24, 58) haec vocabula tum primum novari legitur. Eodem modo p. 996, 10 opinabilis vocabulo sine excusatione utitur interpres, nempe memoria tenens locum Ciceronianeum (Acad. I; 8, 31), quo „hanc partem rerum opinabilem appellari a Platonicis“ Cicero propter novationem adnotandum esse putavit. Eiusmodi sunt exempla permulta. Hac re effecisse nobis videmur praefationem et interpretationem, quod utraque eodem fere tempore scripta est, non esse disiungendas, praesertim cum non minus per codicum auctoritatem, quam per argumenti propinquitatem coniunctae sint. Si igitur praefatio, quae dicitur, Ciceronis est, interpretationem contra non eius esse coniecimus, una sententia relinquitur, qua statuamus philosophum aliqua motum causa, de qua infra disputabitur, socio litterario Platonis Timaei partem interpretandam mandasse, deinde ipsum ei interpretationi praefationem minus quam adnotationem praeposuisse, quo personas, qui disputarent et locum disputationis paucis sibi designaret. Ad hanc enim Hermanni sententiam de consilio, quod philosophum ad hanc interpretationem curandam commoverit, iam quamquam non sine quodem discrimine adducimur, quod nullo vetustatis certo testimonio

adiuti nihil quod magis ad veri similitudinem accedat, possumus concludere. Hermannum igitur ipsum audiamus l. c. p. 10. Loco Ciceronis de divinat. II; 2, 4 exscripto: „adhuc haec (opera) erant. Ad reliqua alacri tendebamus animo, sic parati, ut nisi quae causa gravior obstitisset, nullum philosophiae locum esse pateremur, qui non Latinis litteris illustratus pateret" ipse pergit: „Quodsi hoc certe extra omnem dubitationem positum est, eam philosophiae partem, quae de rerum natura est, his quaestionibus, quae ad deos fatumque pertinent, non absolvi, ipse Ciceronis testimonio freti et fieri potuisse et ipsi propositum fuisse statuemus, ut etiam reliquos eius partis locos de creatione mundi et humani corporis fabrica deinceps tractaret. Id vero si fecit, eodem modo fieri consentaneum erat, quem etiam reliqui libri, qui ex hoc orbe exstant, prae se ferunt, ut variarum scholarum placita a variis hominibus enarrentur, ipsius autem scriptoris sententia aut in fine tantum accedat aut ceteris ita opponatur, ut nihilominus in utramque partem disputari posse appareat; quae cum ita sint, quum nihil ex omnibus quotquot novimus Ciceronianarum litterarum reliquiis ad explendam lacunam, quam in ipso scriptorum philosophicorum fine remanere diximus, aptius videatur quam id argumentum, in quo Timaei sermo versatur, haud scio an iure nostro suspicemur, illic quoque Ciceronem non in sola placitorum Platonicorum interpretatione substitisse, sed haec et ipsa uni tantum ex collocutoribus tribuisse eique etiam alia subiicienda duxisse, quibus inter se oppositis demum hic quoque locus eadem qua reliqui ubertate illustratus videri poterat." Sic Hermannus. Deinde singulas disputationis partes distribuit inter Nigidium Tigulum Pythogoreorum placita et Cratippum Aristotelis physiologiam enarraturos. Iam Madvigius (de Fin. p. LXIV) opinatus est „eandem rationem Ciceronem in omnibus de philosophia libris instuisse, ut in singulis, quas erat tractaturus, philosophiae partibus unum fere aliquem sibi eligeret ducem, quem sequeretur et exprimeret." Atque philosophum Romanum Timaeum Platonis non propter placita ipsa transvertendum curavisse, iam ex consilio, quo omnino res philosophicas tractabat, concludere possemus, etiamsi certos locos, ex quibus sententia Ciceronis de huius dialogi obscuritate et inconstantia elucet, non haberemus. Huc accedit, quod ex locis, in quibus vocabula novantur et in quibus Latinus Graeco sermoni opponitur, intellegimus neminem nisi Romanum hunc Timaei sermonem suo nomine enarraturum. Quare opinio nostra aliquid firmamenti habere videtur Ciceroni nos hanc interpretationem debere, non quod hunc Platonis dialogum civibus suis Romano sermone illustrare volebat, sed ut in maius opus receptum tamquam pro sua sapientia venderet. Sed etiamsi in universum hoc modo philosophum Romanum in componendis suis operibus concedimus, tamen alias philosophiae partes aliter tractari erat necesse. De hac re disputavit Otto Heine in disp. de tontibus Tusculanarum quaestionum pag. 3, ex qua haec quae sequuntur desumere liceat: „Non ubique Ciceronem eam (quam modo descripsimus) rationem instituisse satis apparet. Quis enim non videt alia ratione eum usum esse Panaeti libris in eis, quae de officiis scripsit, alia Antiochi in Academicis? Ipse Cicero ait se cum minime visus sit, quo tempore et reipublicae administratione et opera forensi erat occupatus, tum maxime esse philosophatum. (De nat. deor. I; 3, 6.) Etenim non summas illas sententias perscrutatus est, — sed quae oratori sententiarum fontem praebebant, quae ad ingenii cultum liberalem pertinebant. — Itaque cum remotus ab administratione republicae de philosophia scribendo solatium caperet, ubi eae res quas dudum perceptas habebat, ei tractandae erant, passis velis in alto navigavit. Contra ubi totam alicuius doctrinae formam explicat, aut subtilioribus et obstrusioribus quaestionibus tenetur, propter rerum obscuritatem et suam ignorantiam et sermonis Latini difficultatem Graecorum vestigia presse sequi satis habet." Hactenus Heinius. Haec verbotenus recipienda mihi videbantur; in universum enim de componendi more modoque Ciceronis agentes neque melius quidquam habebimus, neque facile erit, qui concinnius aut magis

ex re proferat. Nunc autem quaerentibus nobis, utram rationem in nostro de rerum natura opere componendo, si a fortuna absolvere concessum esset, secuturus fuerit, res non in obscuro est. Quaestiones enim de rerum natura, quae pars philosophiae veterum ab illo nondum sermone Latino illustrata erat, omnium difficillimas esse, neminem fugit, qui paullo accuratius his rebus studuerit nedum Ciceronem, cui ipsi in sua ad Timaeum praefatione videantur a natura involutae. Itaque facile permittimus, si philosophus, cum iam passis velis in alto navigare non possit, alteram rationem sectans, ut in rebus subtilioribus et obscuris, vestigia Graeci alicuius auctoris presse sequi satis habet. Sed hanc opinionem, ut nunc quidem protulimus, non facile quisquam sibi abtrudi sinet. Fingamus enim animo libellum, quem sibi proposuit, absolutum nobis Romanis praesto esse; legamus praefationem; pollicetur philosophus sese colloquium cum Nigidio Pythagoreo et Cratippo habitum nobis relaturum; quid nobis refert? dialogum Platonis, iam pridem Romanorum eruditioribus cognitum, saepe perlectum, raro intellectum. At Cicero nos ut intellegamus docebit! Nihil minus, nempe ipse multa non intellexit. Quomodo igitur Romani in contextum Latinum ad verbum conversum prorsus intrent, quum vel inter doctissimos novissimae aetatis viros de compluribus Graeci contextus locis inexplicabiles controversiae agantur? Sed pergit Hermannus: „ne quis miretur integrum fere dialogi Platonis locum ita transsumi a Cicerone potuisse, ut apud hunc prorsus alieno ore proferretur, simillima exempla nec nisi brevitate a nostro differentia etiam in aliis huius libris ita Latine expressa exstant, ut nisi aliunde originem eorum nossemus, non calamo tantum Ciceronis sed etiam ingenio eius deberi censeremus.“ Primum quidem jam satis magna diversitas esse mihi videtur inter illos per philosophicos libros dissipatos locos et inter nostrum fragmentum; sed etiamsi hoc Hermanno concedamus non magni momenti id esse, quod non nisi brevitate differant, quid quaero omnino doctus vir hos locos in comparationem vocavit, inter quos vix ac ne vix quidem quidquam similitudinis intercedit? Sunt enim illi loci, si paucos ut locum in initio libri de senectute non spectes, quasi citandi causa, ut hac voce uti liceat, ex Graeco in Latinum translati. Hic comprobaret necesse erat etiam in ceteris libris, in quibus variarum scholarum disciplinas a variis hominibus demonstratas videmus, has disciplinas verbo tenus esse ex Graeco philosopho translatas. Ac vide ne frustra quaeras, quae certo exemplo nobis demonstrare nullo modo possis. Neque tamen prorsus exemplo caremus, ex quo conjectura id quidem assequimur, ut de quaestione, quomodo Cicero Graecis auctoribus in scribendo usus sit, veri similia colligi possint. Exstant enim inter Herculanensia volumina fragmenta quaedam a Petersenio Hamburgensi Phaedro Epicureo, a Spengelio et a Sauppio Philodemo vindicata, quae Cicero in historica parte de nat. deor. libri primi componenda excerpsisse vel adhibuisse videtur. Horum enim quin ad nostram quaestionem usus esse possit, non dubitamus, quamquum nos non fugit et esse et esse posse, qui Ciceronem his Philodemi libris usum esse negent, ut ne iis quidem quae Hirzelius nuper de fontibus librorum de natura deorum disputavit, persuasum nobis esse confiteamur. Sed sive Cicero usus est Philodemi libro, res in integro est, sive non usus est, tamen eum ex eodem quo illum fonte hausisse aut alium Philodemi similem librum excerpsisse necesse est et nomine tantum mutato hanc quaestionem minus ad nos pertinere apparet. Necessarium autem videtur, quod verisimile est Ciceronem in similibus operibus componendis etiam simili ratione usum fuisse, quomodo et quoad Graeco illo libello *περὶ ϑεῶν* ad suum opus adhibuerit perscrutari. Qnoniam fragmentum omnium in manibus esse non verisimile est, partem ad nostram propositum pertinentem exhibere liceat. Atque ea, quibus Cicero ex fragmentis in suo opere usus est, patent a col. I, v. 11. usque ad col. VII, v. 8, quae in Ciceronis de natura deor. libro I; 15, 38—41 vix agnoscas: —

*καλέσειν εἰς τὴν προεδρίαν οὕτως. ἐπεὶ παραδέδονταί τινες μὲν ἀγαϑοὶ κα εὐεργετικοί, κελεύσειν*

*τιμᾶν αὐτοὺς θυσίαις τοιούταις, αὐτοῖς δ' οὖν εὔξασθαι ὡς θεοῖς, δωρεὰν γὰρ ἂν δήποθεν διειληφότα περὶ αὐτῶν σεμνύνειν ἑαυτόν. Ἀλλὰ οἴεται Χρύσιππος, τὸ πᾶν ἐπιδιατάσσων ἐν τῷ πρώτῳ περὶ θεῶν, διαῤῥήδην τὴν φρένα πάντων καὶ πάντα λόγον καὶ τὴν τοῦ ὅλου ψυχὴν, καὶ τῇ τούτου μὲν ψυχῇ πάντα φυτὰ διαχεῖσθαι καὶ ζῶα καὶ τοὺς λόγους· διὸ καὶ Ζῆνα καλεῖσθαι Δία, δοτῆρα βίου. αὐτὸν δὲ κόσμον τῶν ἀνόσων ἔμψυχον εἶναι καὶ τὸ ἡγεμονικὸν καὶ τὴν τοῦ ὅλου ψυχήν. Καὶ οὕτως ἀνάλογον εὐνομεῖσθαι τὸν Δία καὶ τὴν κοινὴν πάντων Φύσιν καὶ Εἱμαρμένην καὶ Ἀνάγκην. καὶ τὴν αὐτὴν εἶναι καὶ Εὐνομίαν καὶ Δίκην καὶ Ὁμόνοιαν καὶ Εἰρήνην καὶ Ἀφροδίτην καὶ τὸ παραπλήσιον πᾶν. Καὶ μὴ εἶναι θεοὺς ἄῤῥενας μηδὲ θηλείας, ὡς μηδὲ πόλεις, μηδ' ἀρετὰς ὀνομάζεσθαι δὲ μόνον ἀῤῥενικῶς καὶ θηλυκῶς τ'αὐτὰ ὄντα, καθάπερ Σελήνην καὶ Μῆνα. καὶ τὸν Ἄρη κῦρον πολέμου τέ εἶναι καὶ τῆς τάξεως καὶ τῆς ἀντιτάξεως. Ἥφαιστον δὲ πῦρ εἶναι καὶ Κρόνον ἐκκριτὸν τοῦ ῥεύματος ῥόον, Ῥέαν δὲ τὴν γῆν, Δία δὲ τὸν αἰθέρα, τοὺς δὲ τὸν Ἀπόλλω καὶ τὴν Δήμητρα γῆν ἢ τὸ ἐν αὐτῇ γόνευμα. Καὶ παιδαριωδῶς λέγεσθαι καὶ γράφεσθαι καὶ πλάττεσθαι θεοὺς ἀνθρωποειδεῖς, ὃν τρόπον καὶ πόλεις καὶ ποταμοὺς καὶ τόπους καὶ πάθη. καὶ Δία μὲν εἶναι τὸν περὶ τὴν γῆν ἀέρα, τὸν δὲ σκοτεινὸν Ἀίδην, τὸν δὲ διὰ τῆς γῆς καὶ θαλάττης Ποσειδῶ. Καὶ τοὺς ἄλλους δὲ θεοὺς ἀψύχοις, ὡς καὶ τούτους συνοικειοῖ, καὶ τὸν Ἥλιον αὔτως καὶ τὴν Σελήνην καὶ τοὺς ἄλλους ἀστέρας θεοὺς οἴεται καὶ τὸν Νόμον. καὶ ἀνθρώπους εἰς θεούς φησι μεταβαλεῖν.*

*Ἐν δὲ τῷ δευτέρῳ τά τε εἰς Ὀρφέα καὶ Μουσαῖον ἀναφερόμενα καὶ τὰ παρ' Ὁμήρῳ καὶ Ἡσιόδῳ καὶ Εὐριπίδῃ καὶ ποιηταῖς ἄλλοις, ὡς καὶ Κλεάνθης, πειρᾶται συνοικειοῦν ταῖς δόξαις ἑαυτοῦ.*

Haec hactenus; quae in sequentibus Phaedri a col. III, v. 26 usque ad col. VII, v. 8 inveniuntur, Cicero in duas enunciationes contraxit, de nat. deor. I; 15, 41.

Haec quamquam pauca sunt tamen ejusmodi esse mihi videntur, ut ex iis concludamus, quomodo philosophus Romanus Graecis fontibus ad sua opera componenda usus sit. Itaque ad quaestionem nostram revertamur. Quodsi videmus, ut verbo tenus interpretatus sit libellum Graecum tantum abesse, ut placita fere tantum et ordinem receperit, suae orationis nitore imbuta, nihil minus mihi persuadeo quam Hermanni sententiam, Ciceronem tantam dialogi partem in suum opus translaturum fuisse et pro sua sapientia venditasse, quae nunc ex relictis magni Romani scriptis collecta ad nostram aetatem pervenit. Unum refugium patet, ad quod eo facilius nos convertamus, quo minus certis antiquitatis testimoniis vel aliqua a Cicero in interpretatione patefacta re, quid spectet, ad aliquam sententiam praeoccupati sumus. (Nam neque in ceteris Ciceronis operibus nostri fragmenti mentio fit, neque ex eo, quod in iis verbis notandis, quae non nisi Graeco vocabulo adjecto recipere ausus est interpres, Romanum sermonem Graeco tamquam peregrino opposuit, quidquam concludi potest, nisi eum qui loquatur Romanum esse.) Considerandum iterum atque iterum moneo opusculum versari in primis primordiis, ut contendere praefationem unquam absolutam exstitisse ac lacunam interesse, quae miro casu usque ad initium dialogi pateat, sit ridiculum et ut rectum assequi nobis videamur, cum putemus Ciceronem non pauca de consilio operis, de sua sententia, de variis variorum philosophorum disciplinis, aliis praefationi fuisse additurum. De translata dialogi parte ipsa quis omnium, qui incorrupto animo ad causam contemplandam accedet, infitietur non dico esse mirum sed inpetum putare Romanum philosophum, qui in operibus suis consuerat summa tangere, qui in praefatione ad librum de nat. deor. I; 1, 37 de se ipse profitetur: „et si omnia philosophiae percepta referuntur ad vitam, arbitramur nos et publicis et privatis in rebus ea praestitisse, quae ratio et doctrina praescripserit" — putare Ciceronem tot res abtrusas atque absconditas Nigidium Figulum narrantem fuisse facturum. Etiam in librum de senectute pauca placita de Timaeo Platonis Cicero desumpsit:

Cato major 21, 77 „Nam dum sumus inclusi — constantia", in quibus conscribendis Timaei pagg. 41—47 B spectavisse videtur. Inter hoc opus conscribendum et nostrum fragmentum intercedere connexum putare vetamur, quod ante pag. 47 B exit Timaei interpretatio. Atque Hermannus (l. c.) ambigit, num Cicero si propositum suum plene assequi potuisset, multo plura quam interpretatus est, in suum opus translaturus fuerit. Nobis in hac re ambiguitas esse non potest. Primum quidem exit interpretatio in sensum communem, ut quasi fine rhetorico concludatur. Deinde codices nunquam plura quam exstant praeter lacunas praebuisse videntur; nam iis, quae Priscianus et Nonius sumpserant ex Timaeo, quae a nostris codicibus absunt, sedes repertae sunt, ut disseruit Hermannus, in lacunis, quae temporis iniquitate in codicibus factae esse videntur. Omnes fere codices in iisdem versibus abrumpuntur ac ne codex quidem Vindobonensis, n. 89, inter eos qui philosophica continent, valde antiquus, qui interrumpitur post verba „ad numerum machinatae sunt et spatium temporis" (p. 1010, 23 Orelli) alium in finem exiisse videtur; adnotatur enim vetusta manu: hic deficiunt quatuor lineae secundum exemplar (conf. Halm, zur Handschriftenkunde der Ciceron. Schriften p. VII nota 9). At integrum dialogum transsumere ne in mentem quidem venire Ciceroni poterat. Cur autem quaero dialogus eo loco interruptus est, quo sensus argumenti interruptionem non potitur, nisi satis sibi fore interpres aut is qui mandavit putasset, ut ex ea quae exstat parte sententia Platonis pateret, iis Ciceronis quidem sententia et consilio supervacaneis rebus missis, quibus ingenium philosophi poeticissimi placita profundissima ornamento quasi exstruxerat. Nam quae Platonis aureo ore enarrata maximam voluptatem movent, ea ab Romanorum philosophiae quasi professore eo consilio, ut partem disputationis efficerent, Latinis litteris mandata vix essent ferenda. Ille enim dialogum, paene dixi poema nobis id reliquit, in quo mundum, hominem, naturam universam ad boni ideam denuo creari quasi oculis videmus, hic nobis partem illius operis plastici quasi proferret, — nam totum dialogum eum recepturum fuisse, si omnino quidquam recepturus erat, de hac re jam tacere liceat — partem igitur verbo tenus receptam apponeret, arbitrio suo circumcisam, non sui ingenii vi impulsus, sed ut cives Romanos eminentium scholarum de re physica placita doceret, quaeque de his rebus sua esset sententia, quasi mensam secundam adjiceret. Tali consilio consentaneum erat, ut summa tangeret nec quidquam eorum, quae nobis ad hoc fragmentum pertinentia tradita sunt, opinioni Ciceronem postea in elaborando opere ita rem instituturum fuisse repugnat. Contra si omnia Platonis recepit, ut Carneadeo more modoque, id est dubitanter in utramque partem de iis disputaret, quid quaero de singulis rebus obscurissimis disputare potuisse cogitamus eum, quem nihil solius ostentationis causa unquam scripsisse scimus, nisi simul aliquid aut ipsi aut civibus prodeset? Deinde quanti voluminis fuisse librum de rerum natura Ciceroni propositum credamus, si praeter Platonis aliorum quoque placita recepisset, ut de quaque re disputaret? Ex his atque ejusmodi causis permultis facile patet Ciceronem, quoniam eo perducti sumus, ut Platonis de re physica placita ex Timaei dialogo excerpta in suum libellum translaturum fuisse statueremus, non tamen translaturum fuisse, quin in fragmento, ut nunc exstat, permulta mutavisset. Quod cum per se elucet, tum exemplo confirmatur, si quidem recordati erimus, quantopere quae de Philodemi opere *περὶ θεῶν* in librum de natura deorum recepit, amputaverit et in angustum coëgerit. Itaque de oratione Nigidi Figuli complura, quae ad ornatum magis quam ad argumentum ipsum pertinerent resecuisset, ut summa sententiarum patefacta lectores facilius ad rem ipsam intelligendam perducerentur, quum ea quae nunc exstat copia et opulentia et verborum et rerum perturbati essent. Ceterum non indigne ferrem, si huc illuc, ubi obscuritas rei postulasset, paullo planiore et uberiore oratione usus esset; ita id assecutus esset, quod eum ceteris operibus assecutum esse concedemus, perspicuitatem. Nisi quis putet philosophum magnam illam virtutem, cum

jam aetas maturuisset abjecisse ita, ut Platonis omnium difficillimum dialogum, quem nostra aetas vix intelligit, quamquam excellentes viri et philosophicis et philologicis studiis imbuti multa cum laude in eo commentando operam posuerunt, ita translatum, quomodo nobis ante oculos est, civibus suis legendum proponeret. Hac enim in re prorsus assentior Petr. Petito cum dicit Misc. obs. III; 3 p. 157. „Quasi nuda et simplex versio, quam Cicero dedit ejus dialogi, magnopere rerum quae in eo tractantur ignaros adjuvare possit! Latine quidem conversus a Cicerone Platonis Timaeus est, sed non intellectus; non enim necesse est, si quis alicujus auctoris verba in aliam linguam transferat, ejusdem vim verborum et sententiarum profundam esse animo eum complexum". Sed quoniam haec attigimus, quoniam ut jam haud semel monui opusculum in primis primordiis versari existimandum est, ut Cicero non nisi multis mutatis recepturus fuerit, demonstrandum est, quantopere vacillent quae Hirzelius in praefatione operis sui (Untersuchungen zu Cic.'s philosoph. Schriften. I. Theil, Vorbemerkungen S. 3) disputavit: „Die genannte Abhandlung von Hermann ist auffallend und wider Gebühr vernachlässigt worden. An der Richtigkeit ihres Ergebnisses kann kein Zweifel sein. Sie hat aber außerdem noch einen besonderen Werth, indem sie uns in einem neuen Beispiele das Verhältnis Cicero's zu seinen Quellen zeigt. Das Timäusfragment steht insofern auf einer Linie mit dem Herkulanensischen des Philodemus, wie Hermann selbst S. 13 angedeutet hat; und es übertrifft dasselbe an Werth, da es uns die Controlle in einem viel größeren Umfange ermöglicht". Philodemi et Timaei fragmenta nullam omnino habent comparationem. Quatenus et qua ratione opus Philodemi quod dicitur in opus Latinum receptum sit, ex opere absoluto de natura deorum evidemus; Timaei fragmentum conjectura locum invenit in opere incerto et ipso quoque conjectura concluso.



Nunc quidem his conclusis, quo consilio philosophus Romanus ad transferendam dialogi partem motus sit, jure nostro quaerimus, quomodo fieri potuerit, ut interpretatio ad verbum translata exstet, quamquam Ciceronem ita ea uti potuisse negabamus. Causa, si quidem ea meminerimus, quae supra disputavimus, non in obscuro est. Iam enim identidem sententiam de hac re declaravimus, Ciceronem hoc quod dialogi habemus socio cuidam litterario docto in sermonem Romanum transferendum mandasse, ut sua de difficillimi et obscurissimi Platonis dialogi singulis locis sententia cum hominis alicujus comparata, cui satis eruditionis et ingenii inesse confidere poterat, Graeci philosophi placita eo accuratius percogitata et perspecta civibus suis in proprio opere afferret. Neque enim Ciceronem fugisse, quantae esse difficultatis Timaeus, ex loco libri de fin. II; 5, 15 apparet, ubi dicit rerum obscuritatem non verborum facere, ut non intellegatur oratio Timaei. Itaque si hac nostra sententia verum suspicamur de philosophi consilio, profecto hoc fecit, quod si non fecisset rectius miraremur. De nostris quoque doctis hominibus socios sibi comparare solitos esse scio, quo facilius atque celerius et quae deterioris essent doctrinae atque acuminis sibi suppeditarentur et ut haberent, 'qui alienas ab ipsorum studiis res sua arte elaborarent. Talem socium Ciceronem sibi comparasse M. Tullium Tironem libertum satis constat, ut vix testimoniis ex epistolis patroni opus sit. Ita in libro VII. epist. ad Att. 5, 1 „De Tirone, inquit, video tibi curae esse; quem quidem ego etsi mirabiles utilitates mihi praebet, quum valet, in omni genere vel negotiorum vel studiorum meorum, tamen propter humanitatem et modestiam malo salvum, quam propter

usum meum.“ Epist. ad famil. XVI, 21 „tu velim in primis cures, ut valeas, ut una **συμφιλολογεῖν** possimus.“ Quid autem sit Ciceroni philologia videas ex hac ipsa epistola l. c. XVI, 17 „Sed heus tu, qui **κανών** esse meorum scriptorum soles.“ Ex epistola ejusdam quo Timaeum prodiisse verisimile est anni, ad fam. 16, 10 „tu quidem musis nostris para, ut operas reddas.“ Itaque si conjectura nostra administratorem aliquem litterarum philosopho fragmentum transtulisse, rectum assecuti sumus, ex locis autem de epistolis magni Romani supra exscriptis elucet Tironem non solum pietatis vinculo, sed etiam studiorum commercio cum illo fuisse quoquam magis conjunctum, valde verisimile est Tironem fuisse, quem ille tali mandato dignum habuerit. Quamquam hoc in medio relinquere velim, nec multum refert, cuinam mandaverit exquirere, dummodo mandaverit. Hoc quidem ex epistolis constat Ciceronem socios studiorum habuisse; quid, quaero, curae eorum relictum erat, nisi ejusmodi quid, de quo agitur, ut patrono viam in difficiliora philosophiae opera patefacerent? Sed dixerit quis philosophum Romanum Graeci sermonis non minus gnarum fuisse quam Latini et memini me legere, a Cicerone, cum Rhodum venisset, Apollonium Molonem rhetorem, quippe sermonis Romani rudem, rogavisse, ut jam Graece verba faceret. Quod quum fecisset, Apollonius, te quidem, inquit, laudo et admiror, Graeciae sortem maereo, nam quod magnifici et praeclari ei erat relictum, tu ad Romanos transtulisti. Sed quid hoc ad rem? Quasi sermo solus philosopho difficultates adferret. Sed alia est causa, quae efficiat, ut sententia nostra magis ad verisimilitudinem accedat. Postquam enim in unius potestatem respublica pervenit, nihil Cicero quod quidem se dignum esset ut ageret reperiebat. Libros ejus et epistolas perscrutanti ejusmodi querelae crebro occurrunt. Ex hoc otio, in quod reipulicae status eum conjecerat, excitatus per dolorem, quem ex Tulliae filiae morte ceperat, repente pristinis orbatus muneribus philosophiae studia revocavit, quibus juvenis exercendi causa deditus fuerat. Ante omnia enim studium quaerebat, cum philosophiae se dedebat, qua posset prodesse quam plurimis, ne quando intermitteret consulere reipublicae. Ex his tantum causis ardens studium ortum est, quo eum omne tempus, omnem operam philosophiae tractandae tribuentem videmus; ex his tantum causis elucet, quomodo fieri potuerit, ut ipsi gloriari liceret duorum horum annorum scripta totius vitae paene aequare. Mira quadam maturae mortis divinatione ad propositum explendum videtur impulsus, quod legimus in libri I. de divinatione exordio: „ad reliqua alacri tendebamus animo sic parati, ut nullum philosophiae locum esse pateremur, qui non Latinis litteris illustratus pateret.“ In tanto studio tantaque industria occupato sexagenario nemo moleste feret, quod ad facilius et celerius perficiendum propositum usus est qualibus nos suspicamur subsidiis.